



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 2. Quinam sunt Sacrificii Missæ effectus?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**



& necis, ad cuius gloriam omnia referri debeant. Et verò cum Sacrificium sit actus Religionis perfectissimus, quo Deo cultus ipsi soli proprius ac debitus exhibetur, non debuit eo carere vera ac perfectissima Religio.

*Not.* Sacrificium Missæ est simul. 1. Latreuticum seu honorarium, in quantum offertur Deo in agnitionem supremi eius Domini. 2. Eucharisticum, in quantum fit in gratiarum actionem pro acceptis Beneficiis. 3. Propitiatorium, quatenus offertur, & valet ad remissionem peccatorum, & poenæ eis debita. 4. Impetratorium, quatenus fit & valet ad impetranda à Deo Beneficia.

*Q. 2. Quinam sunt Sacrificii Missæ effectus?*

*Resp. 1.* Ut propitiatorium, confert iis pro quibus offertur, remissionem peccatorum mortalium & venialium quoad culpam, & poenam temporalem peccatis condonatis debitam, ex Trid. sess. 22. cap. 2. docente Sacrificium istud esse verè propitiatorium... hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum poenitentiae concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. & can. 3. Si quis dixit Missæ Sacrificium soli prodesse sumenti: neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit. Producit autem immediatè remissionem poenæ temporalis, peccatis quoad culpam remissis, debita, idque plus aut minus pro



pro voluntate Dei, & devotione subjecti. Remissionem verò peccatorum quoad culpam producit solùm mediatè, quatenùs ejus intuitu conferuntur gratiæ actuales, quibus peccator, pro quo oblatum est, excitatur & perducitur ad poenitentiam sufficientem cum Sacramento in re vel in voto suscepto ad justificationem: quia tamen sæpe homo iis gratiis resistit, ideò non semper hic effectus obtinetur.

*Resp. II.* Ut impetratorium est, habet vim impetrandi omnia genera beneficiorum etiam temporalium, quatenus ad salutem conducunt sed secundùm dispositionem divinæ providentiæ: nam hoc Sacrificium continet Christum, & ejus merita hanc vim habentia.

Observa 1. Hos effectus parit Sacrificium Missæ ex opere operato; quia non conferuntur ex opere operantis; & quia Christus est non solùm victima, sed etiam offerens principalis. 2. Ut Missa specialiter profit uni potius quàm alteri, requiritur applicatio à Sacerdote facta. Sufficit, si ante Missam adfuerit intentio eam applicandi tali, nec fuerit retractata. Ut autem is, pro quo offertur, accipiat gratias actuales, sufficit, si non habeat voluntatem contrariam. At ut recipiat remissionem poenæ temporalis, requiritur status gratiæ, & ut peccata, quorum poena remittitur, sint ante remissa quoad culpam. 3. Juxta multos offerri potest pro conversione Infidelium & Hæreticorum



corum, & Excommunicatorum, modò non nominentur in Orationibus.

Q. 3. *An Sacerdotes tenentur aliquando celebrare?*

Resp. Omnes tenentur jure divino sub mortali. Prob. 1. ex Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* quibus verbis, ut Trident. sess. 23. c. 1. testatur, Christus Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit. 2. Quia Sacerdotes omnes in sua ordinatione accipiunt non solum potestatem, sed etiam munus & Officium Sacrificandi per se illi annexum, ex illo Heb. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ius, quæ sunt ad Deum, ut offerat Sacrificia.* At quisque munus susceptum exequi tenetur graviter in re gravi, ut in hac, & uti potestate sibi concessâ in honorem Dei & utilitatem proximi; ut patet ex damnatione servi inutilis ob talentum absconditum, Matth. 25. Quare S. Thom. 3. p. 4. 82. a. 10. ait, quòd Sacerdos etiamsi curam animarum non habeat, *celebrare teneatur in præcipuis Festis.*

Tenantur etiam jure Ecclesiastico: nam Conc. Later. 4. c. *dolentes.* de celebrat. inter peccata Sacerdotum recenset, quòd vix quater in anno celebrent, & addit: *Hæc igitur & similia sub pœna suspensionis inhibemus.* & Trid. sess. 23. c. 14. sic statuit circa quoslibet Sacerdotes: